



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

III. Num in potentia intellectiua aut volitiua Dei physica actiuitas, &
prioritas cum addito, formalis ex natura rei, vel virtualis admitti queat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

intellectus communis tanquam via. Respondetur tamen obiectum hanc maiorem vim habere, si in communi potentia intellectiva actiuitatem partialem formaliter admitteremus, ut patet, sed nihil probat.

6. Etenim energiam illam potentie intellectus communis actiui realiter formaliter esse non admittimus, sed partem solum potentie notionalis actiui formalis, eamque energiam impeditam esse per identitatem cum termino producendo, quo impedimento per identitatem cum persona producere liberatur. Si autem eo impedimento liberari non posset per identitatem cum persona à termino illo producendo, sicut impedimentum necessarium, illi esset potentia communis, ita etiam energia, seu fecunditas illa, inchoata, & terminalis adhuc, esset chimærica, & impossibilis: cum autem respectu intellectus communis distinctio realis ab illa impossibilis sit, quia neque per identitatem cum persona producere (cui etiam intellectus communis identificatur) ab identitate reali potentie intellectiva liberatur, atque intellectus, qui communis præcise est, processio actiui, vel passiva non sit, sed ut identificata cum persona producere sit actiua processio, & cum persona procedente processio passiva, & utrumque habeat non respectu sui, sed respectu personæ procedentis, sit plane potentia intellectiua communem, nec secundum se, nec ut identificatam adhuc personæ producenti, esse physice actiuiam respectu communis intellectus, siue tanquam via, quia ut sic processio non est, siue tanquam termini, quia intellectus communis terminus producendus non est. Licet ut identificata personæ Patris utraque potentia intellectiua ad intellectiuenem ut potentia notionalis actiui physice tanquam ad viam comparari queat.

7. Dominici Recentes, ingenio nobiles, manuscripto de scientia Dei relati à Ribadeneira supra. c. 4. n. 11. admittunt distinctionem virtutis intellectus à cognitione contingentis, seu contingentem in Deo, aiunt saluari posse in potentia hac physicam absolute, & simpliciter actiuitatem, & actum primum respectu eius cognitionis, licet absolute, & simpliciter ratio productionis physice saluari nequeat. Extremum hoc addunt, ne vnicum argumentum distinctionis realis formalis diuinarum personarum ex absoluta, & simpliciter productione, & processione physica earum à Patribus datum vel incurant, vel euacuent. Sed certe cum non maior distinctio inter producentem, & productum actum, quam inter productum, & producibile requiratur: si ad productum, & producibile absolute, & simpliciter tale distinctio realis virtualis satis est, ad producentem, & productum actum absolute, & simpliciter satis etiam erit: vnde male Patres, & Theologi omnes ex productione, & processione personarum absolute, & simpliciter inferunt absolutam, & simpliciter talem distinctionem: cum hæc inter solum distincta realiter virtualiter, æque acque actiuitas, & producibilis physica absolute, & simpliciter talis, dari queat.

8. Quod autem non maior distinctio inter producentem, & productum actum absolute, & simpliciter tale, quam inter productum, & producibile absolute tale requiratur, probari facile potest. Primo, quia æqua est oppositio relatiua absolute, & simpliciter inter productum, & producibile absolute, atque inter absolute producentem, & productum: ergo tanta est inter illa, atque inter hæc distinctio: quare si ad eam oppositorem relatiuam satis est virtualis distinctio, & ad hanc etiam oppositorem sufficit: ex magnitudine enim relatiuæ oppositioris relatiuæ distinctionis oppositorum magnitudo taxatur. Secundo probatur: quia actio non addit causam, & effectui distinctionem, eamque formaliter in ipsis ponit: sed supponit potius, ut in Trinitate etiam euenire ostendimus controu. de Trinit. d. 1. q. 1. certum, & in aliis omnibus omnes censent ad vnum. Quare ex solum in producente, & producto actu distinctio requiritur, etque, quæ in productiua, & producibili esse debet. Tercio tandem: cum vnumquodque eo, quo in se constituitur intrinsece, ab omni alio, quod ipsum non est, distinguatur, nequit ex actuali productione distingui magis, quam per suam entitatem distinguatur ab alio: licet ex productione bene inferatur distinctio productionis proportionata eorum, ut si absoluta, & simpliciter talis productio physica sit, absoluta, & simpliciter talis principii, & termini secundum se, & in terminis suis entitates distinctio realis arguitur: si autem

virtualis, eorum etiam virtualis distinctio.

9. Cuius ratio est: quia, cum nihil possit producere seipsum eo ordine, & genere, quo productum est, identitatem cum illo excludit, atque ab eo dicitur distinctio, si realiter formaliter, realem formalem; si solum virtualiter productum illius est, realem solum virtualem: ex quibus constat Recentes istos non ita sartam, tectamque rationem Patrum pro personarum distinctione, atque ipsi putabant, volebantque seruare. Constat etiam, eo absurdo omisso perperam philosophatos esse, cum pro absoluta, & simpliciter tali actiuitate sufficere distinctionem virtualem principii à termino putarunt: atque inconsequenter eam ad productionem absolute, & simpliciter talem negasse. Et quidem principii, & causæ actiui, & simpliciter talis, à principio, & causæ actiui secundum quid distinctio in eo solum stat, quod illa possunt agere, seu sunt principia operandi absolute, & simpliciter; hæc vero sunt principia operationis solum secundum quid. Quare implicat actiuitati potentie intellectus Dei respectu intellectus solum respondere virtualem productionem.

QVÆSTIO III.

Num in potentia intellectiua, aut volitiua Dei physica actiuitas, & prioritas cum addito formalis ex natura rei, vel virtualis admitti queat.

REICTA à Dei intellectu, & voluntate, absoluta, & simpliciter tali actiuitate, & prioritate respectu suorum actuum quæstioni huic inter Recentes celeberrima est.

CERTAMEN I.

Authorum sententiæ.

1. **A**ctiuitatem physicam, aut productionem formalem ex natura rei, vel virtualem non hic intelligimus coniunctionem identicam potentie intellectus cum intellectione, quarum prima in creatis actiua physice secunda est; hæc vero à prima producta. Si enim ita virtualis, aut formalis ex natura rei actiuitas, & productio intelligatur, nequit Deo negari, sed est impropria earum vobis usurpatio. Si enim nomen virtualis prædicari, siue distinctionis, siue actiuitatis, siue actionis, siue alterius cuiuspiam, ita accipi cum proprietate valeat, innumera prædicata Deo indigna, & absurda cum addito *virtualis*, seu *formalis ex natura rei* ascribi poterunt, quæ suse persequitur, & recenset Alarcon ubi hoc sensu à se intellectam virtualem prædicatorem Dei distinctionem à Recentioribus assertam confutans mille eiusmodi absurdorum exemplis eam distinctionem infestat. Illum igitur adeat lector, ne in re certæ æmulus inutiliter consumatur. Et hoc sane sensu Becan. tract. 1. c. 1. q. 1. num. 9. potentiam intellectiuiam virtualem realem ad summum admisit. Me autem iudice solum admisit eius ab intellectu realem virtualem distinctionem, ex qua realis virtualis actiuitas minime deducitur, ut statim ostendam.

2. Verum non adeo facile sensus Doctorum eiusmodi actiuitatem physicam, vel formalem ex natura rei, vel virtualem potentie intellectus, aut volitiue in suos actus intellectus, & amoris, in vnum coegetur. Ut ex Arrubalis, & aliorum alio, & alio sensu recitando constabit. Germanior est, qui eam ad modum distinctionis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis exponit, ut productio, & actiuitas inter eiusmodi potentias, earumque actus sit: formalis quidem ex natura rei, quæ res absolute, nec physice

sive productiva, nec producta formaliter tamen, & ex natura rei, atque omnino ab intellectu independentem habeant esse productiva altera, altera vero producta. Virtualis vero actiuitas, & productio fit: quia ea, inter qua nec actiuitas, nec productio physica absolute adept, adesse ne possit; tamen in ordine ad munus proprium physica actiuitate, & productionis ita se gerunt, ac si alterum alterius productum esset, alterum vero producibile, & productum. Ita virtuale physicam productionem explicant Recentiores apud Herize tract. de volunt. d. 12. n. 1. quod scilicet res non producat, ita se gerat, ac si produceret, quod in nostram recedit explicationem, a qua, cuiusque sensu virtualis productionis solus Arrubal, eius vocis primus in diuinis inductor, discordat. Contra quem proinde agendum nobis pro nostra conclusionem ad huius certaminis calcem seorsim erit.

3. Alens igitur 1. p. q. 20. & Scotus in 1. qu. 7. circa med. §. obicitur versu ad primum, & §. contra istam versu ad Tertiam instantiam referente Quibz supra lect. 2. init. actum primum physicum, siue physicam actiuitatem potentie intellectiue diuine respectu suae intellectiōis, scilicet formalem ex natura rei admittit: pro qua sententia citat ibidem Quibz, Smiling, tract. 3. d. 2. q. 1. n. 13. citarique posse ait Scottis reliquos, qui distinctionem formalem ex natura rei cum suo præceptore admittunt. Sed certe ex hac distinctione, ad similem productionem, & actiuitatem inter diuinam non adeo expedita consequentia est. Porro virtuale productionem, siue actiuitatem inter intellectum diuinum, cuiusque intellectiōem omnem communem, & voluntatem, & amorem, etiam communem necessarium, primus atque sine sectatoribus docuit Arrubal 1. p. d. 28. c. 4. & d. 49. c. 1. sensu, ut dixi peculiari: scilicet productionis, & actiuitatis conditionatae. Quia potentia intellectiua Dei eiusmodi in se est, ut, si a sua intellectiōe distingueretur reipsa, re etiam ipsa illam produceret: ad eum nimirum modum, quo Dei omnipotentiam ad extra creaturarum productiua dicimus, si creaturae possibiles sint, ac non repugnent. Hanc sententiam, & explicationem primus dictauit Arrubal, licet prior euderit Albelda loco citato supra.

4. Ex aliis vero, qui proprius productionem, & actiuitatem physicam virtualem intelligunt neminem fere vidi, qui potentiam intellectiua, aut volitiua respectu suorum actuum communium, & necessarium physicam virtualem siue actiuitatem, siue productionem admittat. Recentiores solum Complutenses (a quibus semper genio potius, quam animo discedo) in manuscriptis de scientia, & de volunt. in voluntate respectu suorum actuum communium, etiam necessarium, physicam actiuitatem, & productionem virtualem admittunt: quia inquirunt ad hos etiam Deus, cuiusque voluntas prævia cognitione obiecti vere, & realiter mouetur: implicat autem id, ad quod aliquid vere, & realiter mouetur ab eo, quod ad ipsum mouetur vere, & realiter non pendere, atque produci: cum autem nequeant eiusmodi actus a Deo, cuiusque potentia volitiua, cui absolute, & simpliciter identificantur, realiter, absolute, & simpliciter physice produci, restat produci realiter virtualiter: ac proinde voluntatem realiter virtualiter eorum actuum esse. Secundo: quia hæc denominatio mouendi se ad amorem per obiecti propositionem, quæ Deo proprie, ac sine fictione nostra conuenit, est denominatio, quæ in creatis absque dependentia vera physica, & absolute aitoris ab amante stare nequit: non minus quam communicari, & non communicari absque absolute reali distinctione: ergo sicut ideo in Deo distinctio realis virtualis admittitur: ita, & realis virtualis productio amoris, etiam necessarii, a voluntate diuina, atque huius in illa actiuitas, & prioritas realis virtualis admitti debet.

5. De potentia vero intellectiua respectu suorum actuum necessarium actiuitatem, & prioritatem physicam, & realem virtualem horumque ab illa realem physicam virtualem productionem eo argumento probari non reputant d. 2. de scientia m. 2. §. 3. num. 39. quare alias probationes vulgares magis assignant. Prima est ex prædicato vitæ perfectissimæ diuinæ. Secunda ex doctrina quadam Capreoli in 1. d. 35. q. 1. a. 2. ad Aureoli arg. dicentis actum primum in Deo esse perfectionem fixam, & quiete manentem: quod ita explicant, & intelligunt

præfati Recentiores, vt è prædicato, & formalitate sua nequeat deficere adhuc conditionate, si aliud deficiat, extrinsecum etiam: inde autem actum secundum in Deo esse prædicatum in quavis linea non ita fixe, & constanter de se manentem, sed quod Deo è prima, & quasi vniuersaliiori formalitate sua potest deficere: cum autem intellectio diuina prout præcinitur ab hoc, vel illo obiecto necessario, vel contingentem eam necessitatem elidendi, & persistendi non habeat: quandoquidem in cognitione contingentis, quæ deficere potest obiecto contingentem deficientem, diuinæ cognitionis prædicatum est: sic vt cognitio diuina, vt sic, atque prout abstrahit, ab hoc, vel illo obiecto, possit deficere, ac non fixe maneat è ratione, & formalitate sua in Deo: ac proinde actus secundus censetur. Quoniam vero potentia intelligendi, seu intellectiuitas, & posse intelligere à nullo obiecto, eiusque contingentia pendeat, sed de se, & conceptu suo determinatum sit ad cognoscendum, si fuerit aliquid cognoscibile, sit, vt fixe maneat è conceptu suo in Deo, neque contingentia subesse è genere suo possit: quare, & actus primus sit, & virtualis quidem actiuitas diuinæ omnis intellectiōis: quia de se illam produceret, si reipsa ab ea differret. Quo in Arrubalis tandem sententiam præfati Recentiores eunt.

6. Hinc vero arguitur: quia necessitas, & contingentia nequit non solum eidem formalitati, sed neque realitati esse necessaria, & contingens, imo hæc reperiiri sine noui alicuius fluxu vero, & reali aduentu, & accessu in creatis nequit: ergo nec sine virtuali reali non solum distinctione, sed fluxu, & aduentu vnius ab alio, quod sit eius actiua virtualis realis potentia, & actus primus, respectu contingentem aduenientis, quod actus secundus realis virtualis proinde erit. Iam vero inquirunt, si distinctio realis virtualis in Deo admittitur: quia ei aduere predicta contradictoria, quæ in creatis sine reali formali distinctione saluari nequeunt, etiam realis virtualis productio admitti debet cum in eo prædicata contradictoria inueniantur, quæ in creatis sine reali formali fluxu saluari non possunt. Videntur Recentiores hoc argumentum solum probare directe potentiam actiua, seu actum primum realem virtualem respectu cognitiōis diuinæ obiectorum contingentium, quam distinguentes realiter virtualiter inter diuinæ prædicata communiter admittunt: secus vero respectu cognitiōis diuinæ necessariæ. Sed tamen indirecte, & secundario, ac mediate etiam respectu huius tenere argumentum arbitrantur: quia cognitio libera, & necessaria non ex fluxu, aut non fluxu à sua potentia differunt, sed ex eius necessitate, & determinatione, aut indeterminatione, & libertate. Tandem respectu actuum necessarium, seu actus necessarii diuinæ intellectiōis argumento illi vulgari è vitæ perfectissimæ Dei in primis fidunt: cum tamen si quid argumentum illud sum de actu primo reali virtuali, & simili actiuitate voluntatis diuinæ respectu amoris, etiam necessarii, ex vera motione Dei ad amorem per obiecti propositionem probet, atque de intellectiua potentia respectu necessariæ intellectiōis diuinæ probare videatur: cum & ipsa assensus, & iudicium sit, ad quod ex veritatis propositione, & apprehensione mouetur Deus. Consentiant præfati Recentiores Complutensibus Marcialiis à nobis saepe laudati manuscripto de scientia: quoad scientiam vero liberam, & volitionem liberam Dei solum. Quæ à suis potentis non solum distinguunt realiter virtualiter debent, sed & ab alio realiter virtualiter esse, siquidem id, quod contingens realiter formaliter est, à seipso esse nequit, sed necessario ab alio reipsa distincto: ita quod virtualiter est contingens, vt actus liberi Dei, ab alio virtualiter sint, necesse est. Id enim minus est proprium contingentium realiter formaliter creatorum non minus, quam contradictoria prædicata subire, minus proprium realiter formaliter distinctorum, quod si ab alio realiter virtualiter esse libera Dei cognitio, & volitio proinde debent: à sua vnaquaque potentia erit. Quare dabitur in Deo potentia intellectiua realiter, & physice, virtualiter tamen, siue intellectiōis actiua.

CERT. AM

CERTAMEN II.

Vera realis formalis ex natura rei, seu virtualis actiuitas, seu prioritas potentie intellectiue, aut volitiue diuine respectu suorum actuum necessarium reicitur.

1. **S**ic prima conclusio. Non datur in Deo realis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis actiuitas, aut prioritas potentie intellectiue, aut volitiue respectu suorum actuum communium necessarium. Probatur, quia nequit intelligi vera illa actiuitas, aut productio physica, & realis, siue vera potentia ab actu, seu termino producendo physica, & reali distinctione saltem proportionata reali actiuitati, & productioni: euident enim est nihil eo ordine, quo idem, atque indistinctum est, seipsum producere possit: qui in diuinis prædicatis communibus, saltem necessariis, nulla est distinctio realis formalis ex natura rei, siue virtualis: ergo nequit in eis realis actiuitas eius ordinis, realis scilicet formalis ex natura rei, siue virtualis vnius respectu alterius reperiri. Dixi saltem necessarium, quia licet in contingentibus etiam neutram ex eis distinctionibus admittam, ac proinde etiam respectu contingentis intellectiui, & amoris ratio in nostris principis probet: alit ea distinctionis siue realis, siue ex natura rei, siue virtualis inter prædicata communia exclusio, & aratione certior est, atque ab authoribus distinctionis huius virtualis admittitur: quia in eis minus illud subeundi prædicata contradictoria realiter (ex quo virtualis hæc distinctio arguitur) nullquam inueniuntur Scotica vero formalis ex natura rei prædicatorum diuinorum necessarium inter se distinctio minori, imo nullo omnino apparenti fundamento iungitur, vt vidimus controu. 1. & si inter necessaria, & contingentia, ac personalia aliqua fundamentum eius distinctionis esse admittamus.

2. Quod autem Recentiores Complutenses pro opposita conclusione adducebant, nullius est ponderis. Atque illarum illa ex contingentis intellectiui, & amoris diuinis reali virtuali productione adeo facilis non est, atque ab eis reputabatur, cum respectu contingentium, in eorum sententia ordinis eiusdem, in quo realis virtualis productio ponitur, realis etiam virtualis distinctio sit, quæ, vt minimum, ad realem virtualem productionem eiusdem ordinis necessaria omnino est; inter prædicata vero communia necessaria (ipsis etiam Recentibus anruentibus) virtualis adhuc ordinis distinctio non adest. Itaque distinctio contingentis, & necessarij effectus, seu actus, penes producti, ac non producti non est, vbi termini, seu actus producibiles sunt; alit vbi ratione identitatis realis, omnimode potentia, & actus, vti in necessariis Dei actibus, productio omnis, siue realis, formalis, siue virtualis est impossibilis, ea etiam improducibilitate ex prædicato superiori à producibilibus distinguuntur, & specie superiori etiam, vel genere differunt: quemadmodum homo ab insensibili, & planta ex sensibilitate, quæ speciem superiorem, vel genus ad sensitiuum, & rationale constituunt. Vulgare illud argumentum, cui tandem maxime fidem, & vita perfectissima intellectuali Dei peritum, cum de intentionali vita sit, nihil probat. Ostendimus enim ad eam physicum viuientis influxum in actus vitales eius generis non requiri, sed ad summum intentionalem, qui in veris, licet non physicis, atque siue vlla mentis distinctione sit: an solum metaphysicus, & per rationem? q. 4. eliminabitur.

3. Denique acuta illa actus primi, & secundi realis ex Capite lo. medietario seipsa præ sua subtilitate euanescent. Neque in cognitione diuina, vt sic, atque vt ab hoc, vel illo obiecto præcincit contingentiam euincit: alioquin, si in ea, vt sic præcisa, contingentiam euinceret, omnia Dei cognitio contingens foret: quemadmodum, quia formalis substantium est, omnes eius species sensitiue esse

esse debent: quiddam enim superiori conuenit, qua tali, siue secundum se sumpto, & inferioribus debet conuenire: constat autem cognitioni Dei de seipso, vel de obiecto alio necessario contingentiam non adesse. Solum ergo ea præcisione admissa in sic præcisa cognitione Dei capacitas metaphysica admitteretur ad necessitatem, vel contingentiam in suis inferioribus, non quidem omnibus, sed in aliis necessitatem, in aliis contingentiam pro obiecti sui, vel contingentia, vel necessitate: ea vero capacitas contingentia, licet distinctionem metaphysicam intellectiui sic accepta à virtute intellectiue arguat; non autem distinctionem realem virtualem, quæ solum in contradictoriis realibus, atque independenter ab intellectus operatione, subeundi sita est, non autem in contradictoriis metaphysicis, solum ratione nostra subeundis, vt iidem asserunt Recentiores. Multo autem minus ad productionem realem virtualem satis erit, quæ non, nisi inter ita, vt minimum, distincta versari potest, vt diximus, neque ad formalitates præcisas, & communes est, sed ad singularia, in quibus eæ continentur: cum actio omnis, & actiue, & passiue singularium sit, non vero prædicatorum abstracte communium, vt ex Aristotele axiomata vulgare fere: *actiones sunt suppositorum*. Quare Dei cognitio, non nisi vt in contingentia est, contingentiam vllam, aut virtualem distinctionem, & producibilitatem habere potest.

4. Illa etiam suppositio præcisionis diuinæ intellectiui ab hoc, vel illo obiecto est prorsus falsa. Licet enim admittamus ab intellectione diuinæ, & creata posse abstracti conceptum intellectionis communem, qui ad obiectum in communi referatur prout à creato etiam, & increato præcincit: alit omnino ab obiecto nequit magis, quam ab intelligente in communi præcincire: quia essentia intellectionis est tendentia actualis, actualique exercitium circa obiectum, ac sine alterutro non esse solum, sed nec concipi potest. Atque hic quidem conceptus cognitionis ab increata, & creata abstractus abstrahit etiam à creato, & increato obiecto; alit vbi semel diuina concipitur ab obiecto increato, seu Deo nequit præcincire: cum Deus eiusque essentia obiectum primum sit, ex quo, tamquam specificatiuo, non solum primario, sed totali totam suam essentiam, & representationem insinuat habet, æque atque ab ipso Deo tanquam à principio: quin obiecta creata quiddam formalis, & intrinsecæ representationis addant, addere cognitioni diuinæ queant: siue ea in statu necessaria producibiles, siue contingentis existentie absolute suæ considerentur, vt latius inferius ostendimus.

CERTAMEN III.

Reicitur etiam respectu contingentium actuum.

1. **S**ic secunda conclusio. Neque respectu cognitionis diuinæ contingentis, siue quæ circa contingentia creata obiecta versatur, datur in Deo, eiusque intellectiua potentia realis, siue formalis ex natura rei, siue virtualis actiuitas, & prioritas. Conclusio hæc fere omnibus distinguendis realiter formaliter ex natura rei, vel virtualiter contingentia prædicata à necessariis in Deo aduersa est, si Ribadeneyrasi excipias supra, c. 4. num. 62. conclus. 4. in nostris principis, qui omnem inter contingentia etiam, & necessaria diuina prædicata virtualem, siue formalem ex natura rei distinctionem realem abnuimus, argumento iam efformato pro necessaria Dei cognitione satis suadet. Id autem, quod nunc supponimus, probatum abunde est variis nostrorum operum locis, atque controu. 1. sed ne ex eo solum principio huius conclusionis veritas pendeat, admissa adhuc inter contingentia, & necessaria Dei prædicata tam formali ex natura rei, quam virtuali distinctione. Probatur secundo conclusio ex alio nostro principio, quod attigimus cert. 2. n. 4. ex controu. 1. eadem, vbi ostendimus nullum prædicatum diuinum ex homogeneis cum ipso partialibus prædicatis

dicatis posse, adhuc metaphysicè, constari, nedum rebus homogeneis virtualiter adhuc diuersis physicè realiter virtualiter componi. Inde enim euident est eandem cognitionem necessariam Dei erga se (primarium eius obiectum; & adequatum specificatum) esse formaliter, adhuc in ratione cognitionis, cognitionem extrinsecorum omnium in particulari, etiam contingentium; quia eadem intellectus, etiam metaphysicè, formalitate est omniscientia, & omniscientia, cui nihil in ratione cognitionis addi queat. Hinc autem fit non posse cognitionem contingentem, seu contingentium produci realiter virtualiter in Deo ab eiusque potentia, improducta in ordine reali virtuali necessaria eius cognitione, ut improductam, & improductibilem esse ostendimus cert. 2. quia eadem formalitas metaphysica nequit in illo ordine producibilis, & producta esse, ac simul improductibilis, & improducta. Difficultatem libertatis actuum diuinorum formaliter indiuisibiliter etiam necessariorum emolliemus, quoad fieri in hac vita potest, d. vlt. de diuina scientia qualitatibus. Et controu. 4. de voluntate, quod, si impatiens difficultatum ingenium habes, poteris ita adire. Hic enim ea explanare recta methodus veta.

2. Tercio distinctione virtuali inter prædicata Dei contingentia, & necessaria admissa probatur conclusio argumenti, quo iam pridem oppositam sententiam impugnabam. Quia non est admittenda in diuinis realitas virtualis alicuius generis, cuius realitas formalis in creatis reperta repugnat, nisi ubi in Deo inuenitur munus aliquod proprium, quod in creatis realitatem formalem illius generis inuitabiliter, & necessario requirit: atqui nullum munus proprium realis formalis actiuitatis, & prioritatis, seu productionis physica realis formalis creatæ reperitur respectu intellectiōis, (& idem est de amore libero) diuine contingentis. Ergo nec respectu eius datur in Deo actiuitas, prioritas, aut productio physica realis virtualis. Consequentia est legitima. Maior perspicua est: ac percursu omnium realium virtualitatum eorum, quæ in creatis realia formalia sunt, parebit. Sed clarissime exemplo realis virtualis distinctionis, ex qua eius auctores oppositam nostræ huic conclusionem communiter statuunt: etenim ideo inter communia, & personalia Dei prædicata, inter necessaria item, & contingentia realem virtutalem distinctionem admittunt, quia in eis verificantur realia, & independentia à fictione mentis contradictoria, essendi, & non essendi, communicatur, & non communicatur: est defectibile, seu potest deficere, imo deficit, eorumque contradictoria: quod munus ita proprium realiter formaliter distinctorum in creatis est, ut sit ipsa distinctio realis formalis: scilicet: esse idem, & non esse idem, & vnum realiter formaliter. Quod, quia in Deo ob sui esse eminentiam infinitam cum reali formalitate identitate inuenitur, non arguit distinctionem realem formalem; quia tamen realiter adest, virtutalem arguit, quæ cum dumma Dei unitate, & identitate reali formali amice componitur: cuius realis formalis distinctio prorsus repugnat. Stet ergo fixa maior nostri syllogismi eius nimium generis realitatem virtutalem posse solum admitti, cum munus tale in eo reperitur, quod necessario inuitabiliter, & essentialiter realitatem formalem eius generis importat in creatis.

3. Reliquum est, ut ad argumenti firmitatem probemus minorem in hunc modum. Munus siquidem vnicum actiuitatis, prioritatis, & productionis physica realis formalis in creatis solum est physica actiuitas, & productio realis formalis eius, respectu cuius realis formalis actiuitas, & productio est; huiusque ab illa realis formalis dependentia: neque aliud munus essentialiter, & necessarium inuenies: atqui realis formalis actiuitas, & productio physica adhuc respectu intellectiōis, & amoris contingentis, in Deo non inuenitur, ut q. 2. monstratum est, ratioque, & mysteria fidei nostræ conuincunt: ergo nullum munus proprium, & essentialiter requisitum actiuitatis physicae, & productionis realis formalis creatæ in Deo reperitur respectu intellectiōis, & amoris, etiam contingentis. Dices primo reperiri munus viuendi propriæ: quod in creatis sine reali physica actiuitate, & productione esse non potest. Sed id negari de vita intentionali.

4. Dices secundo non minus pugnat distinctio cum identitate, quam productio cum improductione, & ta-

men cum identitate, & indistinctione reali formali componitur, in hac hypothese argumenti huius, realis virtualis distinctio in diuinis respectu contingentium: ergo & cum reali formali improductione realis virtualis productio in diuinis componitur. Sed nos non tangit obiectio. Nam, licet non magis pugnet productio, & improductio realis formalis inter se, quam identitas, seu indistinctio, & distinctio: at distinctio hæc in creatis habet munus proprium, quod absolute cum identitate reali formali componitur in diuinis; secus productio realis formalis: quare cum reali formali virtualis productio componi nequit. Nec valet contingentis prædicatum importare necessario esse ab alio in creatis physicè & realiter formaliter: quare, & munus proprium physica realis formalis productionis in liberis Dei actibus reperiri, ut Murciani Recentiores aiebant. Verum esse ab alio ita repugnat Deo, ut si in eo contingentia essent, Deo esset neganda, ac proinde negandum est de essentia contingentia, seu libertatis, ut sic, esse, quod ab alio sit: quare id numeris, si vniuersum loquamur, non est munus proprium physica productionis. Secundo contingentia actus liberi diuine cognitionis non est quoad intrinsecum cognitionis à potentia contingentem operante: sed à potentia necessario operante repta, siue in actu necessario diuine cognitionis; quia sola extrinseca obiecti positio, siue vltio cognitionis accessu illud representat: quia cognitione sui omniscius Deus formaliter est: quare non ad actum necessarium potentia physica virtualis admittatur, nequit ad liberum admitti. Licet autem Murciani hi Recentiores, ut hanc inconsequentiam subodorari admittant in Deo potentiam physicè actuum virtualiter respectu intellectiōis necessarii Dei ipsius, aliunde à suæ doctrinæ consequentia deficiunt: cum enim inter eam potentiam, & intellectiōem necessariam distinctio virtualis iuxta ipsos non addit, qui eam merito in his omnibus negant, in quibus contradictoria necessario ex fide proxime, vel remote non debent admitti: ubi autem distinctio in aliquo ordine siue absolute, siue virtualis realitatis inter potentiam, & actum non est, actiuitas physica realis illius ordinis esse nequit, ut cert. 2. ostendimus à numero 1. & q. 2. cert. 2. à num. 7. Præterquam quod ratio illa fluxus actus contingentis vitalis, & liberi ab alio, id est à sua potentia vitali, & libera, cui specialiter, & meo iudicio acute conclusio hæc à Recentioribus actiuitas physica imponitur, imo imponi vix potest, in actibus necessariis sit, neque in creatis physicum influxum dicunt: licet ex sua imperfectiōe illum adiunctum habeant: sed solo intentionali fluxu satis essentia sua haberent: quare non ita est munus proprium contingentis, & liberi physici fluxus ab alio, atque distinctorum contradictoria subire.

5. Opponi alia satis debilia solent. Quod scilicet, sicut distinctio virtualis nullam imperfectionem dicit: ita neque productio virtualis. Quare Deo respectu suæ intellectiōis contingentis etiam erit concedenda. In nostris principiis suppositum est omnino falsum. Nam & distinctio omnis virtualis dicit imperfectionem abolendi summam, dignamque Deo unitatem, & omnium, quæ in eo sunt identitatem. Sed dato supposito: dixi proxime virtutalem productionem pugnat cum absolute improductione eorum, quæ in Deo sunt. Dices. Pater sine vlla imperfectione realiter formaliter producit Filium: ergo & sine illa natura, seu potentia intellectiua diuina producet realiter virtualiter intellectiōem. Nego consequentiam à paritate disparatam. Alia denique opponuntur ex non intellecta productione, & actiuitate physica virtuali, in qua disputatur, quibus, sola explicitiōe questionis occurratur.

CERTAMEN

CERTAMEN IV.

*Arrubalis, & sequacium sententia
explosa.*

1. Arrubalis, Albeldæ, & Complutensium Recentiorum, qui in eam tandem sententiam inciderunt; sententia actiuitatis virtualis, quia peculiaris fuit, seorsim, atque specialiter confutandus erit. Primo: quia potentia actiuitatis intrinseca entitatis potentie cuiusque est. Vel ergo maneret potentia intellectiva, quæ modo est, eadem intrinsece in omni ratione præter distinctionem ab intellectione sua, atque hæc etiam eadem in omnibus aliis præter distinctionem ab eiusmodi potentia; vel secus, atque variata utraque maneret in intrinsecis: si variata maneret; ergo alia esset in ratione potentie ab ea, quæ nunc est, ac proinde non inferretur potentiam, quæ nunc est intellectiva in Deo, esse actiuam intellectiōis etiam ex suppositione, quod ab intellectione realiter distingueretur: cum non hæc tunc esset actiua, sed alia. Si autem dicat eandem tunc inuariatam in aliis manuram præter identitatem, & indistinctionem realem ab intellectione, quæ distinctione reali ab illa in ea suppositione periret: ergo actiua non esset: quandoquidem ea secundum prædictam intrinsecam reliqua actiua modo non est.

2. Dices modo etiam esse actiuam conditionate sub conditione distinctionis à sua intellectione, quæ purificatione eadem intrinseca actiuitas in absolutam migra, ac transiit. Sicut de omnipotentia Dei diximus. Id quod victor alio exemplo intrinsece actiuitatis diuinæ adiuncta, clarius adhuc probatur, atque illustratur. Etenim essentia Dei similem actiuitatem notionalem habet respectu personarum procedentium: quia, licet ipsa ratione identitatis cum illis actiua absolute illarum non sit: at sub conditione distinctionis ab illis prout cum personalitate procedentium identificatur, actiua de se notionaliter est: atque ea conditione identificationis cum persona producente, atque ut sic distinctionis à producenda, & procedente persona per identitatem realem actiua, ut sic, notionaliter absolute est. Similiter ergo natura, seu facultas intellectiva Dei suæ intellectiōis, cui realiter identificatur, actiua etiam ad intra est sub conditione distinctionis ab illa, atque si adueniret absolute, & purificaretur actiua absolute intellectiōis suæ eademmet potentia intellectiva foret: quia vero conditio eius distinctionis purificari nequit, solum remanet potentia intellectiva Dei actiuitas conditionata respectu suæ intellectiōis.

3. Hæc porro sunt, quæ similis vero dici in hac sententia ad nostrum argumentum possunt. Cæterum illi hæc quaquam faciunt satis: exempla enim ad rem non sunt. Primum enim de omnipotentia de re non est. Licet enim omnipotentia à creaturarum possibilitate absoluta potius sit, ut verè est; actiuitas tamen ex parte sui absoluta est, licet nostro concipiendi modo, ut eius absolute actiuitatis ab illarum possibilitate independentia explicetur, ea conditionali propositione utamur. Quia actiuitatem nullam nisi in ordine ad terminum concipere, & explicare pro hoc statu valemus: sicut neque aternitatem, aut immensitatem absque respectu ad spatium, vel durationem, à quibus tamen prius absolute sunt. Sed et hoc vera conditionalis actiuitas sit ex parte sui, ut à nobis necessario concipitur: in eis tamen physica, & reali entitate, ac conceptu non imbibitur impossibilitas purificationis conditionis, neque enim metaphysicè, aut physice omnipotentia impossibilitas creaturarum est, quæ conditionem possibilitatis earum excludat. At impossibilitas conditionis imbibitur in potentia intellectiva diuina, de qua agimus: quia diuina enim imbibitur habet essentialiter identitatem realem cum suo actu, & intellectione, quæ impossibilitatem distinctionis ab ea, ac proinde purificationis conditionis illius & facit, & constituit: cum alterum sit contradictionis.

Christoph. de Ortega, De Deo Uno, Tomus I.

& repugnantia huius necessarium, & inuitabile extremum.

4. Similiter notionalis actiuitas, quæ in essentia, & natura diuina conditionalis appellatur, sub conditione distinctionis à termino, seu persona procedente naturæ eidem secundum se spectata impossibilis, sub conditione, nec physice, nec metaphysice absolute possibilibus, non est. Siquidem, uti in instantia, quam pro aduersariis dedimus, dicebatur: licet secundum se spectata naturæ diuinæ distinctio à persona procedente non competat; at in statu identitatis cum personalitate persone producentis ipsi competit ab illa distinctio: quare actiuitas ipsius conditionata, & inchoata respectu persone procedentis sub conditione distinctionis ab illa nec physice, nec metaphysice continet impossibilitatem purificationis conditionis, sub qua inchoata, & conditionalis actiuitas notionalis est. Ex quibus constat primo aduersarij opinionem nullum ab exemplo, & paritate ex creatis, aut increatis potentis tam extrinsece, quam intrinsece subsidium habere, quare mere arbitrarium, fictamque pro libito eiusmodi actiuitatem physicam conditionalem, seu eo sensu virtualem potentie intellectivæ Dei respectu suæ intellectiōis haberi, estimarique debere: ipsamque potentiam, quæ nunc est, nullam habere in se imbibitam actiuitatem; sed illam, quæ in hypothesi ponitur distinctionis illius, aliam omnino in ratione potentie, & actiuitatis esse, ut contendimus.

5. Ne vero, quod sine exempli alicuius subsidio esse monstrauimus, chimericum tamen, & fictum per rationem, contra rationem tamen esse ab aduersariis negetur; sic ex dictis ratio à priori instruenda est, ut id etiam probetur. Implicat è conceptu suo in terminis potentie actiua, siue actiuitas physica conditionalis realis sub conditione, cuius purificationis, in eo, in quo eiusmodi actiuitas ponitur, imbibitur intrinseca metaphysicè, aut physice impossibilitas. Atqui in potentia intellectiva diuina, quæ tali, imbibitur intrinseca impossibilitas physica, & metaphysica purificationis conditionis, sub qua in ea conditionata actiuitas ponitur: ergo implicat in ea conditionata illa actiuitas. Maior est certa ex solo percursu, & enumeratione omnium actiuitatum conditionalium, siue ad extra, siue ad intra, quas tam in diuinis, quam in creatis nouimus: ultra omnia enim omnino, quæ nouimus, in materia aliqua aliquid sine ratione vlla aliter commentum purum ac figmentum non solum præter, sed contra rationem est. Secundo à priori probatur: quia nulla actiuitas realis, ac non ficta potest in se inuolueri metaphysice, aut physice suæ operationis, indispensabile impedimentum: atqui actiuitas conditionalis rei includentis in se physice, aut metaphysicè impossibilitatem, & repugnantiam purificationis conditionis includit in se impedimentum inuitabile suæ operationis: ergo nulla actiuitas, nisi ficta, & chimerica est. Maior est ex terminis notis, nam actiuitas imbibens in se impedimentum inuitabile suæ operationis physice, aut metaphysice esset actiua, & non actiua simul, siue haberet potentiam, & impotentiam operandi, quod est implicitorium.

6. Minor illa (quod scilicet intellectiva potentia Dei physice habeat imbibitam repugnantiam, & impossibilitatem purificationis conditionis, sub qua ab his Doctoribus actiua dicitur, nempe distinctionis realis) facile suaderetur. Quia habet imbibitam physice identitatem cum intellectione, cuius actiua sub conditione distinctionis ab illa dicitur: sed ea identitas est repugnantia, & impossibilitas vera, & realis illius distinctionis ab intellectione: ergo habet imbibitam physice impossibilitatem, & repugnantiam purificationis conditionis, sub qua actiua intellectiōis suæ asseritur. Vergetur: quia causa actiua realis à suo effectu distinctio, realis essentia- lis, saltem physice, omni causa est, ut vidimus: ergo ponere actiuitatem potentie reipsa identificatæ cum termino sub conditione distinctionis realis eiusdem potentie ab illo chimerica est: ponere nempe actiuitatem potentie sub conditione, quod per impossibile physice actiua foret: seu quod actiua esset, quæ actiua essentia sua esse non posset, aliaque potentia, & res physica per impossibile.

Z

impossibile foret: egregia quidem hypothesi, & conditio impossibilis, quæ affert conditionem essentialem prædicato, quod affirmat de subiecto, cui ea conditio repugnat. Cur non dicis lapidem physicam etiam habere actiuitatem producendi seipsum, aut producendi hominem, aut equum, imo creandi Angelum sub conditione, quod ab ipso realiter distinguitur, vel sicut homo, equus, aut Deus ab ipso distinguitur.

7. Atque ut doctrinam vniuersalem hypotheson impossibilium inutilium, & viliū tradam, & simul euasione, & instantiam Recentiorum Complutensium contra hoc nostrum argumentum ex, vtili quidem, illa hypothesi, & questione: *an si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo?* petitam examinem. Hæc regula generalis esto: quoties hypothesi impossibilis, repugnantque subiecto cui adhibetur est de essentia prædicati, questio est inutilis, & affirmatiua resolutio nugatoria. Præsertim, cum reliqua essentialia prædicati de subiecto non dubitantur: tum enim inutiliter queritur in hypothesi, an conueniat prædicatum, quod constat non posse conuenire, nisi purificata conditione, quæ explorato nequit in subiecto purificari: nugatorieque affirmatur prædicatum de illo, ut patet in casu nostro, aliisque similibus. Confirmatur: quia, si liceat in hypothesi ponere conditionem impossibilem subiecto, quæ tamen vel de essentia est, vel conditio sine qua non prædicati, quod de illo dubitatur, aut affirmatur: cum Deus, si non esset author, & causa prima peccaret, permittendo peccatum, dubitari posset, imo affirmari, habere potentiam realem virtualem, seu conditionatam ad peccandum: quia ex suppositione impossibili, necessario tamen, ut permittens peccata eis posset peccare: quod perinde est, ac si affirmetur posse peccare, si posset peccare, vel sub eis terminis dispiceretur nugatorie. Questio autem illa vtilis de Spiritu sancto est: quia distinctionis essentia productio à distincto non est, neque in diuinis ab aduersariis necessaria reputabatur: licet de facto necessaria esset: si minus tanquam formale constitutum, & distinctum, ut ostendimus contr. de Trinit. tamen, ut vnicum distinctionis earum apud Catholicos, & admittentes scripturam sacram argumentum.

8. Quatro impugnatur præfata sententia: quia, ut diximus in illa hypothesi distinctionis realis potentie intellectus diuina à sua intellectione nec potentia diuina eadem esset, neque item intellectio illa, cuius esset illa actiua potentia, fieret à potentia intellectus, sed ab omnipotentia foret producenda: siquidem quidquid Deus non est ab omnipotentia, non autem ab intellectu Dei potentia debet necessario provenire: ne omnipotentia aliquorum, ac non omnium potentia actiua sit. Denique cum physica actiuitas potentie intellectus in illa hypothesi non esset notionalis, esset dubio procul stricte causatiua: unde & indigentiam causæ in intellectione diuina, ut existeret, supponeret, ac prædicatum essendi à se casualiter, diuino omni prædicato essentiali, destrueret: quæ omnia cum diuina intellectioni repugnent, sit plane respectu diuina intellectionis actiuitatem potentie intellectus diuina sub conditione distinctionis realis earum in terminis repugnare.

9. Denique Recentiores Complutenses post multam meditationem aiunt potentiam hanc virtualiter actiuam suæ intellectionis esse in Deo necessitatem cognoscendi quoduis obiectum casu, quod sit. Hoc autem prædicatum formalissime est potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi eiusmodi obiecta: atqui hæc potentia non est potentia logica per hos, & per rationem: siquidem potentia logica, siue possibilitas cognitionis huius actiua nequaquam est: ergo est potentia physice absolute, & formaliter talis, ac sine addito illo virtualis. Pater, quia est necessitas, seu potentia cognoscendi cum impotentia non cognoscendi absolute talis: ergo sine addito virtualis consistit.

10. Opponunt Murciani recentiores. Licet de conceptu vite intentionalis non sit physica emanatio à viuenti: tamen perfectius viuere viuens, cuius actualis vita, seu operatio vitalis ab eo physice etiam, procedit, id quod in viuenti libere, seu per liberam operationem, seu actum multo verius est: cum nihil aliud sit libertas actus,

quam indifferentia principij actiui ad illum ponendum, vel non ponendum: enim in eius potentia actiua non sit illum ponere, vel non ponere, quo pacto actus ille sub eius dominio, & potestate erit? Cum igitur Deus perfectissimus viuens, & liberum sit, actiuitatem physicam in suos actus vitales, & liberos necessario habebit, non realem formalem, quæ ipsius simplicitati repugnat: ergo realem virtualem. Si antecedens tam de vita, quam de libertate admitamus, ut ad virtutis perfectionem physica actiuitas requiratur: fiet Deus non quidem perfectissimus viuens, & liberum esse, sed ne simpliciter quidem, & absolute esse tale sola virtuali actiuitate eius in suos actus admissa. Nam eo perfectionis gradu viuens, & liber erit, quo actiuitas suorum actuum sit: quare si solum sit eorum actiuitas physice virtualiter, non autem simpliciter, & absolute, nec simpliciter, & absolute viuens, & liberum erit, sed solum virtualiter: quare nec viuens, & liberum perfectissimum, sed multis creatis viuentibus imperfectius. Respondet ergo perfectus longe viuens, & liberum esse, quod vita solum, & dominio, seu potestate intentionalis viuens, ac Dominus suorum actuum est: ac ideo Deum esse creatis viuens, & liberum perfectius longissime.



QVÆSTIO IV.

An potentia intellectiua Dei veram aliquam intentionalem actiuitatem, aut prioritatem, nec solum rationis, & metaphysicam respectu suæ intellectionis sortiatur?

VB TILIOR meditatio, questioque recentior proxime examinatis de actiuitate, & prioritate vera, & reali physica potentie intellectus Dei respectu suæ intellectionis, siue absolute tali, siue formali ex natura rei, siue virtuali, siue conditionali examen in præfatis examinet. An scilicet, licet neutra eiusmodi realium actiuitatum, prioritarumque physicarum, in potentia intellectus diuina respectu suæ intellectionis deus (ut non dari hæcenus probauimus) vera nihilominus realis actiuitas, seu prioritas intentionalis, ut à Recentioribus dicitur, sit admittenda.

CERTAMEN I.

Recentiorum sententia, & fundamenta.

1. Noster Ioannes Martinez de Ripalda manuscripto de voluit. Dei, quem secutus est noster etiam Quirós t. 1. de Deo tract. 4. d. 35. tota sect. 3. alique Recentiores in manuscriptis de scientia asserunt dari veram, & realem prioritatem non physicam, sed intentionalem respectu suæ intellectionis, siue libere, siue necessitate (quod ipsum de voluntate, & amore Dei dictum volunt) quæ physice ab illa nec fluit, produciturque, neque vllatenus produci potest. De actiuitate vero intentionalis vera, & reali, an eiusmodi potentis respectu suorum actuum conueniat nihil expresse docent: imo Quirós in huius conclusionis probationibus eo contentus videtur, ut probet Deum esse principium intentionale rerum operans ut quod, seu receptum intellectionis, ut constat ex num. 17. & 18. ubi eius rationes id solum euiunt. Probat primo: quia potest dari actio, seu operatio physica, ac respectu eius vera physica actiuitas, & prioritas, quia ea ab hac actiuitate physice fluit, ut constat in physica actiuitate potentie notionalis identificata realiter cum processione actiua: ergo & potentia prior realiter, respectu operationis, quæ physice ab ipsa non procedat. Reliquas probationes nunc silico, quia eas commo